



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Vtrùm in sententia Scoti detur à parte rei distinctio formalis
actualis, media inter realem & modalem, distinctaque à virtuali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

rem & alia huiusmodi modales solent nuncupari, quia modis in hoc maxime assimilantur. Vltimo dividitur distinctio, tam modalis, quam realis, in distinctionem includentis ab inclusio, & excludentis ab exclusio, distinctio excludentis ab exclusio est, quæ reperitur inter duas entitates, quæ non se includunt ad invicem, sed mutuo se excludunt in propria constitutione, ut est distinctio quæ reperitur inter actionem qua producit Petrus, & actionem qua producit Ioannes, & inter præsentiam Romæ, & Lime, si autem fuerit hæc distinctio realis, erit inter Ioannem, & Petrum, materiam primam, & formam; distinctio includentis ab inclusio est quæ reperitur inter partem componentem, & totum compositum, quia talia extrema sunt eiusmodi, ut cum vera, & reali distinctione vnum includatur in alio, pars enim distinguitur à toto, ut anima ab homine, & includitur in ipso toto, & ideo hæc distinctio includentis ab inclusio dicitur.



QVÆSTIO III.

Verum in sententia Scoti detur à parte rei distinctio formalis actualis, media inter realem & modalem, distinctaque à virtuali.

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia est negativa, quam defendit P. Suarez lib. 4. de Trinitate, c. 4. num. 2. & 5. adstruens Scotum solo nomine differre à scientia communi, eandem sententiam sequitur P. Hurtado disp. 6. de distinctione, sect. 3. num. 63. §. his constituit, ubi sic ait, opinor Scotum non constituisse distinctionem ex natura rei, quam etiam vocat formalem pro distinctione vlla actuali simpliciter, sed tantum pro distinctione virtuali fundante distinctionem rationis.

Prima pars huius conclusionis probatur ab eodem Hurtado, sic ex Scoto, in 1. dist. 1. q. 7. §. sed hic restat ulterior difficultas, ait, relationem à parte rei, & non per actum nostri intellectus esse incommunicabilem, naturam vero communicabilem, ex quo inferri esse aliquam distinctionem inter illas formalitates ante actum intellectus, sed ante illum; unde probat non esse vnam entitatem vnius, & eiusdem rationis, alioquin tota entitas formaliter communicaretur, & consequenter paternitas; hæc autem omnia tantum probant secundum genus distinctionis virtualis, & Scotus ipse ait, actui distinguenti respondere diversas formalitates obiectivas, cum quo conveniunt reales omnes, præsertim Thomistæ; hoc autem his verbis asserit Scotus, sed num hæc distinctio est realis? Respondeo non proprie est realis actualis, intelligendo sicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu, quia in vna persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem divinam, & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis;

potest autem vocari differentia rationis, non quod ratio sumatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate secundum quod quidditas est obiectum intellectus: hæc Scotus. Secundam partem suæ conclusionis sic probat Hurtado his verbis Scoti, vel alio modo potest vocari differentia virtualis, quia illud quod habet realem distinctionem in se non habet rem, & rem, sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter quasi duas realitates, quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta, ita enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit, sicut si ista esset vna res, & illa alia: ecce distinctionem Scoti ex natura rei explicatam ab eodem Scoto non modo eodem sensu, quo mysterium incarnationis, & Trinitatis exponitur à Theologis recte sententibus.

Secundo probatur hæc interpretatio Scoti, quia ipse simplicitatem admittit, & negat compositionem tertio, quia vocat eam distinctionem minimam inter eas, quæ sunt in obiecto, quia in se ait non esse actualem, realem, nec potentialem, sed virtualement.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur, & probatur.

Conclusio: In sententia Scoti datur distinctio à parte rei formalis actualis, quæ non est virtualis, & est media inter modalem, & realem.

Probatür prima pars ex Scoto in 1. d. 2. q. 7. §. 5. in 5. ubi sic ait; ita adhuc ultra omnes est identitas formalis, voco autem identitatem formalem ubi, illud quod dicitur sic idem, includit illud cui sic est idem, in ratione sua formali, & per consequens per se primo modo, in proposito autem essentia non includit in ratione sua formali proprietatem suppositi, neque è converso, & ideo potest concedi quod ante omnem actum intellectus est realitas essentia, quæ est communicabilis, & realitas suppositi, quæ est incommunicabilis, & ante actum intellectus; hæc realitas formaliter non est illa, vel non est eadem formaliter illi, quod confirmat in 1. dist. 15. q. 1. ubi sic ait; [Dico, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus considerans A, & considerans B, habet ex natura rei, unde ista compositio sit vera, A non est formaliter B, non tamen præcise, ex aliquo actu intellectus circa A, & circa B.] quid clarius, in quibus verbis duo asserit expresse Scotus: primum quod divinitas distinguatur formaliter à relatione constituente cum ipsa suppositum. Secundum quod asserit expresse Scotus est hanc distinctionem formalem non esse per rationem, aut per intellectus fabricationem confectam, sed potius existentem à parte rei, ut patet ex illis verbis, & ideo potest concedi, quod ante omnem actum intellectus, &c. & in illis verbis [dico, quod in essentia divina, ante actum intellectus, est entitas A,] &c. nā quicquid est per rationem ut entitas A, non est ante actum intellectus, densissimum est, non est ante actum intellectus, quia cum id, quod per rationem est, sit quasi effectus intellectus, & effectus actus illius, & effectus actus intellectus, inde evenit quod id, non possit esse ante causam, inde evenit quod id, quod

Quæst. III. Vtrum apud Scotum, &c. 353

quod per rationem sit, siue sit distinctio, siue quodcunque aliud ens rationis non possit esse ante omnem actum intellectus: sed distinctio hæc formalis quæ ponitur ab Scoto inter relationem divinam, & divinitatem in sententia ipsius Scoti est ante omnem actum intellectus; quia ante omnem actum intellectus est verum dicere, ut ait Scotus, divinitas formaliter non est relatio, ut ex his verbis clarissime patet, quæ protulit ipse in 1. dist. 2. quæst. 7. §. Breviter igitur dico, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa. Paulo post subdit, [ita quod intellectus paternus considerans A, & considerans B, habet ex natura rei, unde ista compositio sit vera, A non est formaliter B, non autem præcise ex aliquo actu intellectus circa A, & circa B: ergo. Ex quibus sic argumentor.

6 Nulla distinctio rationis est ex natura rei; sed asserit Scotus hanc distinctionem formalem esse ex natura rei, ut patet ex illis verbis, considerans A, & considerans B, habet ex natura rei, unde ista compositio sit vera, A non est formaliter B, non ex aliquo actu intellectus; ex quibus aper-
7 patet, quod apud Scotum idem est distinctio, & non identitas formalis, quod distinctio & non identitas ex natura rei; hoc idem patet ex communi modo loquendi; quo utitur Scotus, aliquando enim, & indifferenter vocat distinctionem formalem distinctionem ex natura rei, & è converso præcipue, quia distinctio formalis cadit inter diversas formalitates, & realitates; sed distinctio ex natura rei se habet hoc modo in sententia Scoti: ergo sunt vnum, & idem; accedit quod cum Scotus voluit declarare distinctionem ex natura rei, adducit exemplum de definitione, & definito; at vero Scotus in reportatis lib. 1. dist. 33. quæst. 2. adducit illud exemplum ad declarandum distinctionem formalem: ergo distinctio ex natura rei, & formalis de qua loquimur, idem sunt: ergo distinctio formalis actualis, quam concedit Scotus inter divinitatem, & relationem, non est rationis: sed à parte rei, quia distinctio rationis, v. g. inter Deum, & divinitatem non est ex natura rei; nec potest taliter vocari, ut vocatur distinctio formalis ab Scoto.

7 Deinde sic argumentor, quia distinctio rationis non habet veritatem respectu intellectus divini, quia talis distinctio est ficta per intellectum, & ideo non potest dicere intellectus divinus, cum veritate, Deitas non est Deus; at verò cum summa veritate potest intellectus paternus dicere: divinitas formaliter non est relatio, ut patet ex his verbis Scoti; dico, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus Paternus considerans A, & considerans B, habet ex natura rei unde ista compositio sit vera, A formaliter non est B, non autem præcise ex aliquo actu intellectus circa A, & circa B, quod confirmatur ex supradictis, ubi asseruit Scotus, quod ante omnem actum intellectus, divinitas non est relatio formaliter: ergo talis distinctio non est distinctio rationis, cum ut dixi, non verificetur respectu intellectus Patris æterni, nec detur ante omnem actum intellectus, ut datur hæc formalis, & verificatur respectu intellectus Paterni.

Deinde evidenter patet in sententia Scoti ratione P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

lem distinctionem non esse rationis, sed existere à parte rei, quod patet ex his verbis prolatis, in 1. dist. 2. quæst. 7. §. Et dico sine assertionem, & præiudicio sententia melioris, quod ratio, quare formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentia, ut essentia, habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati, & probo sic, primum suppositum habet realiter entitatem communicabilem; alioquin non posset eam communicare, habet etiam realiter entitatem communicabilem, alioquin non esset positive, & in entitate reali suppositum, & intelligo sic realiter, quod nullo modo per actum intellectus considerantis, imò quod talis entitas esset ibi, si nullus intellectus consideraret, & sic esse ibi, si nullus intellectus consideraret, dico esse ante omnem actum intellectus, non est autem aliqua entitas ante omnem actum intellectus, ita quod non per actum intellectus communicabilis, & aliqua entitas sit de se incommunicabilis, ita quod sibi contradicatur communicari nisi ante actum intellectus: & paulo post subdit, hoc est quod non præcise perintelligere sit aliqua distinctio inter hanc entitatem, & illam: ergo.

Si dicas, quod ante omnem actum intellectus imprimis non est aliqua distinctio, sed est entitas omnino unus, & eiusdem rationis.

Contra, igitur entitatem istam unius rationis totam communicat Pater, & ita nullam entitatem positivam in se habet Pater quam non communicat filio: ergo communicat ei Paternitatem sic cum essentia.

Secundo arguitur sic, distinctio una in intellectu est penes diversum modum concipiendi idem obiectum formale, & hoc siue concipiendo grammaticæ, ut homo, & hominis, siue logicæ, ut homo, & humanitas; alia maior distinctio est in intellectu concipiendo duobus actibus duo obiecta formalia, & hoc siue illis correspondant diversæ res, ut intelligendo hominem, & asinum, siue una res extra, ut intelligendo colorem, & disgregativum.

Ex hoc arguo sic, Pater intelligens se, in illo primo signo originis, aut intelligit essentiam, & A, proprietatem, ut diversæ obiecta formalia, aut præcise, ut idem obiectum sub alio, & alio modo concipiendi. Secundo modo non, quia tunc non esset maior differentia inter Deum, & relationem quam concipiendo Deum, & Deitatem, & ita conciperet A, proprietatem magis incommunicabilem, quam Deitatem incommunicabilem; nam homo non est incommunicabilis si humanitas est communicabilis, nec è converso, ita in proposito similiter tunc non magis esset intellectus primo in essentia divina beatus quam in A, quæ dicitur proprietas Patris, nec magis in A, quam in proprietate Filij, & ita in duobus obiectis, ut in proprietatibus Patris, & Filij, primo esset beatus, tunc detur primus modus, quod Paternus intellectus habeat essentiam, & A, tanquam duo obiecta formalia; tunc arguo sic, intellectus ille nihil intelligit nisi intuitive, quia omnis intellectus abstractiva, & non intuitiva est aliquomodo imperfecta, cognitio autem intuitiva est obiecti, ut obiectum est præsens in existentia actuali, & hoc in se, vel in alio eminenter continente totam entitatem ipsius: ergo quæ cognoscuntur intuitive, ut obiecta formalia distincta, vel vnum eminenter continetur in alio, vel utrumque secundum

Y y dum

dum propriam existentiam terminat actum, ut est eius, nihil autem intrinsecum personæ divinæ proprie continetur in aliquo eminenter, quia tunc esset ens per participationem illius contentis; igitur quæcunque intrinseca sunt diversa obiecta formalia intuitibilia, secundum propriam existentiam actualem terminant intuitionem, ut obiecta, & ita habent aliquam distinctionem ante actum intelligendi.

¶ Si dicas, quod essentia de se facit unum conceptum in intellectu Patris, sed circa illam potest intellectus paternus facere diversas rationes, & præcise secundo modo distinguuntur essentia, & A, in intellectu paterno, & non primo modo.

¶ Contra, quicquid intellectus causat sine actione obiecti circa obiectum præcise, hoc est virtute propria intellectus, & hoc loquendo de obiecto, ut habet esse cognitum in intellectu præcise, & de intellectu considerans est, illud est præcise relatio rationis, nunc autem illa ratio quam facit essentia de se, patet quod est absoluta, aliter non beatificaret intellectum Patris; ergo præter istam rationem absolutam, nulla est alia in re ante actum intellectus, alias haberetur propositum, nulla etiam est alia per te in intellectu Patris, nisi per actum intellectus negotiantis, & non per impressionem factam ab obiecto, quia non imprimit per te, nisi unum conceptum: ergo quælibet ratio alia, à ratione absolutæ essentiae erit præcise relatio rationis: ergo proprietas Patris quæ est incommunicabilis erit relatio rationis, quod est inconvenientiens. Hucusque Scotus, cuius Verba tam in longum adduco, ut maxima evidenter, & sine aliqua tergiversatione constet de mente Scoti, Scotus enim Verbis adductis, non solum simpliciter asserit existere, & dari à parte rei ante omnem actum intellectus distinctionem novam formalem, quam denuo introduxerat ipse §. in §. est unitas, ac proinde minime esse distinctionem rationis, sed etiam latissime omnibus illis argumentis adductis id ipsum probat, ac toto conatu defendit ne aliquando de propria mente circa hoc negotium dubitaretur, quibus aperte demonstrata manet prima pars nostræ conclusionis, videlicet in sententia Scoti certissimum esse dari distinctionem formalem à parte rei, vel ex natura rei, ita ut non sit distinctio rationis ullo modo, quod autem talis distinctio formalis sit actualis, patet evidenter ex verbis Scoti; nam ipse asserit ratione huius distinctionis actu formaliter divinitatem non esse relationem actualem intellectum divinum generare Verbum, & non producere Spiritum sanctum, actu communicatam esse divinitatem Filio à Patre, & non relationem paternitatis: ergo certissimum, & evidentissimum est, ex mente Scoti talem ab ipso distinctionem formalem de novo introductam esse actualem, quia certissimum, & evidentissimum est non solum apud Scotum, sed etiam in bona Philosophia, non posse dari effectum, vel quasi effectum actualem, sine causa vel formalitate actuali, tam respectu causæ efficientis, quam formalis, &c. Pater enim in potentia vel possibilis, non potest generare Filium actualem, nec albedo possibilis potest constituere album actualem, sed ut ait Scotus, in divinis repe- riantur actuales effectus, vel quasi effectus talis distinctionis, nimirum divinitatem non esse formaliter actu relationem Paternitatis, &c. ergo evidenter sequitur in sententia Scoti distinctionem illam formalem actu, & ut actualem à parte

rei existere. Deinde, quia in divinis idem est posse, ac esse, si posse sit in ordine ad constitutionem divinam; unde idem est in divinis posse intelligere & intelligere actu, posse generare, & generare actu, & sic de cæteris: ergo si in sententia Scoti distinctio illa formalis est possibilis, vel potest esse in divinis, sine dubio actu erit, & ut actualis existet in divinitate.

Secunda pars conclusionis, quæ est contra P. 14 Hurtado, P. Suarez, &c. sic demonstratur, ad cuius probationem advertit Scotum, in medio questionis, §. Respondet non est, ut probabiliter asseruisse talem distinctionem posse vocari virtuales, his verbis, vel alio modo potest vocari differentia virtualis, quia illud quod habet talem distinctionem in se non habet rem, & rem, sed est una res habens virtualiter sive eminenter, quasi duas realitates; quod adeo verum est, ut si Scotus ibi terminasset questionem, & non ulterius progrediretur aliud asserendo, sine dubio fatendum esset nobis nullam aliam distinctionem introduxisse Scotum nomine distinctionis formalis, nisi quam nos cum D. Thom. virtuales vocamus, sed hic Author paulo postquam protulit verba à nobis nuper allata, & ab Adversariis pro sua sententia adducta, statim tanquam aliud agens, & tanquam aliam sententiam proferens, in lucem edit Verba à nobis pro nostra sententia adducta in principio probationis nostræ conclusionis, & rejicit distinctionem virtuales, ut videbimus in probatione, itaque tota fallacia Adversariorum in hoc consistit, quod aut non legerint, aut noluerint legere totam questionem ab Scoto pertractatam, sed solum aliquantulum illius questionis contentum verbis à se, & pro se adductis; unde nullo modo potuerunt rectum iudicium de mente Scoti facere, ut dicitur evidentissimum illud axioma Iurisperitorum, (nisi tota lege perspecta, non potest Iudex rectum ius dicere) imo ut ipsa Iurisprudentia dicitur; codicillum revocat testamentum, cum prius fiat testamentum; & postea codicillum: ergo si licet Scotus verba ab adversariis adducta protulerit, postea alia protulit tanquam codicillum suæ voluntatis prima revocantia, his posterioribus, potius quam prioribus standum est, ut recte mens Scoti enucleetur, quod autem verba posteriora Scoti aliam sententiam oppositam priori, vel saltem distinctam contineant, sic probabo.

Primo ex verbis Scoti rejicientibus distinctionem virtuales, tanquam non ad propriam mentem his verbis (Breviter igitur dico, omitendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, non quia sint male dicta; sed quia non oportet eis uti. Dico, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus, &c. habet ex natura rei, unde ista compositio sit vera, A non est formaliter B, non autem præcise ex aliquo actu intellectus circa A, & circa B, cum talis distinctio sit ante omnem actum intellectus, quibus verbis duo aperte facit Scotus, primo asserit distinctionem suam formalem non esse vocandam distinctionem virtuales, ut patet ex verbis clarissimis Scoti; unde ab hac distinctione formalis, & à propria sententia excludit manifeste ac rejicit evidenter denominationem distinctionis virtualis, non ex eo quod talis distinctio sit improbabilis, aut male dicta, ut ipsius Scoti ver-
bis

Quæst. III. Vtrum apud Scotum, &c. 355

his vtar, sed quia distinctio virtualis est distincta ab hac distinctione formali excogitata ab Scoto; unde distinctionem virtuales, quam paulo ante tanquam probabilem admiserat, verbis ab adversariis adductis, nunc rejicit, ac separat à distinctione formali, ne deinceps in dubium vocaretur, ac confunderentur istæ distinctiones, virtualis scilicet, & formalis, quæ re vera in sententia Scoti maxime distinguuntur, ac separantur secundum quod facit est probare hanc distinctionem ex verbis Augustini §. *Ista*. his verbis. *Ista autem formalis distinctio, sive non formalis identitas, quæ probata est prius per duas, vel tres rationes, potest etiam probari, per duas, vel tres auctoritates Augustini, §. de Trin. cap. 1. l. 6. omnis essentia quæ relative dicitur, est aliquid excepto relativo, &c. 3. si Pater nō est aliquid ad se nō est omnino, qui relative dicitur ad aliquid, est igitur essentia in re ad se, & non ad aliquid, & in re Pater in quantum Pater relative dicitur, non est autē formalis eadem entitas ad se, & non ad se; igitur, &c. & sic progreditur per quinque §. usque ad §. ad primum exclusive latissime probando ex varijs locis D. Aug. dari hanc distinctionem formalem à parte rei, quam asseruit Scotus, ubi supra minime vocandam esse distinctionem virtuales, sed formalem ex natura rei, & ante omnem actum intellectus, ac per consequens minime appellandam esse distinctionem rationis: ergo secundum verba, & discursum Scoti rejicientis distinctionem virtuales, si recte tota structura, & contextus quæstionis videatur, evidenter sequitur non posse villo modo asseri distinctionem virtuales, & formalem esse eandem sed diversas, quod aperte, & evidenter cognovissent adversarii, & rectius iudicium de mente Scoti fecissent, si totam legem perspicissent.*

16 Secundo proba hoc ipsum, quia distinctio virtualis non est distinctio formalis à parte rei, virtuale enim, & formale, suo modo opponuntur, & ideo optime dicitur in Theologia, Deus virtualiter, aut eminenter est equus, sol virtualiter est calidus, & nihilominus non potest dici in sana Theologia Deus est formaliter ex natura rei, seu à parte rei equus, nec in bona Philosophia potest dici, sol est formaliter calidus ex natura rei, & sic adversarii concedentes distinctionem virtuales inter relationem divinam, & divinitatem, nullo modo possunt concedere hanc propositionem, divinitas, & relatio ex natura rei formaliter distinguuntur, quam concedit Scotus ex vi suæ distinctionis formalis: ergo distinctio virtualis, à nobis concessa, & à P. Suarez cum D. Thom. admissa non est idem quod distinctio formalis ab Scoto de novo introducta, sed distinctæ distinctiones debent actu à parte rei iudicari.

17 Tercio sic probatur nostra conclusio, quia Scotus ex vi suæ distinctionis, ut patet ex §. *Breviter igitur dico*, asserit divinitatem formaliter non esse paternitatem ex natura rei, & ante omnem actum intellectus, his verbis iam supra sæpe citatis (dico quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa:) atqui ex vi distinctionis virtualis licet divinitati, & relationi conveniant prædicata contradictorie opposita, ut communicari, non communicari, sicuti etiam intellectui, & voluntati divinis generare, & non generare à parte rei, non tamen ex vi eiusdem distinctionis virtualis possunt verificari de illis villo modo hæc propositiones.

R. P. Ildeph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

sitiones à parte rei, vel ex natura rei divinitas non est relatio, intellectus non est voluntas, itaque licet verbis adiectivis, ut patet ex ipso P. Suarez possint verificari propositiones affirmativæ, & negativæ à parte rei de intellectu, & voluntate divinis, ut v. g. producere Verbum, & non producere Spiritum sanctum, de intellectu verificantur, & è contra de voluntate divina, voluntas divina producit Spiritum sanctum, & non Verbum divinum, solum propter distinctionem virtuales, non tamen propositiones affirmativæ, & negativæ de verbo substantivo possunt verificari simul in divinis interabsoluta comparata cum relativis vel comparata inter se ipsa, sed solum, & necessario verificantur propositiones affirmativæ, v. g. & est exemplum vñtissimum in Theologia, divinitas non generat, nec creat, & Deus generat, & creat, divinitas communicatur Filio, & non communicatur paternitas, intellectus generat Verbum, & voluntas non generat illud à parte rei, & nihilominus à parte rei non est verum dicere ex vi distinctionis virtualis, nec conceditur à Patre Suarez, nec à P. Hurtado, sed potius, ut suspexit in fide negatur hoc consequens: ergo divinitas non est Deus à parte rei villo modo: ergo intellectus divinus non est voluntas ex natura rei: ergo divinitas non est paternitas à parte rei aliquo modo, & nihilominus Scotus asserit esse veram hanc propositionem, divinitas ante omnem actum intellectus, & ex natura rei formaliter non est relatio, intellectus formaliter ex natura rei, non est voluntas, & ideo posse cum veritate à parte rei, hoc ipsum indicare intellectum divinum, non propter operationem tantum intellectus divini, sed propter ipsas rationes existentes in Deo ex natura rei, quod verbis iam sæpe à nobis citatis, clarissime asseruit Scotus, quæ nunc de novo iterum in publicum edo, quia semper maximam mihi novitatem ingerunt, sic enim se habent illa verba Scoti: Dico quod in essentia divina ante actum intellectus, tam creati quam increati est entitas A, & est entitas B, id est divinitas, & relatio de quibus loquebatur tunc Scotus, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus, &c. ergo distinctio virtualis, & distinctio formalis Scotica non sunt idem nec eadem à parte rei, distinctio siquidem habent tam distinctas condiciones, ut sunt quas retulimus.

Quarto sic probatur nostra conclusio, quia 18 Scotus in quodlibet 5. art. 2. §. circa tamen, postquam retulit sententiam S. Th. & Hentici asserentium inspirationem, & paternitatem differre sola ratione, & virtualiter, & id satis esse, ut vna de altera non prædicetur, addit hæc verba, quibus se à sententia D. Thom. separat, aliam præferendo, quam rationabiliorem, & probabiliorem iudicat, aliter inquit Scotus dicit alius, & rationabilius, ut videtur, & ad propositum, quod proprietates in eadem persona differunt ex natura rei præter considerationem intellectus, quia ad hoc sufficit comparatio licet non sint oppositæ, & propter hoc prædicatio vnius de alia in abstracto non est vera, ex quibus evidenter sequitur Scotum noluisse assentiri distinctioni rationis cum fundamento in re, vel distinctioni virtuali, quam docebat D. Thom. sed potius aliam de novo distinctionem docere, quam formalem ex natura rei, & ante considerationem intellectus vocat ipse Scotus, & ideo in distinctione, §. qu. 4. §. ad quæstionem, *Istud*.

Y y 2 non

non videtur, eam vocavit distinctionem ex parte rei, & in *initio* §. appellavit distinctionem tertiam præter realem, & rationis, quam dixit omnino esse ante intellectum, quod si solum esset fundamentum illius ante intellectum, ea non esset omnino ante intellectum. & §. circa tamen, eam nuncupavit distinctionem ex natura rei, nam si Scotus solum voluisset docere distinctionem à se excogitatam, vel traditam à Barone esse rationabiliorē D. Th. distinctione; item nec opponeretur D. Thom. nec deberet illum rejicere, siquidem eandem distinctionem tradidisset: ergo si Scotus sic oppugnat D. Thom. ab ipsoque se separat in sua distinctione formali, signum evidens est non voluisse tradere distinctionem virtuales sub nomine distinctionis formalis ex natura rei, siquidem distinctionem virtuales iam tradiderat D. Thom. quam ipse in *ali quodlibet*, oppugnat.

19 Ultimo sic probatur nostra sententia, nam Scotus in 1. *dist.* 2. *ciara*, agens de distinctione inter essentiam divinam, & relationem, quæ in eius sententia est eadem cum illa, quam inter attributa constituit, ait primo distinctionem hanc esse ante omnem actum intellectus, tam creati, quam increati, secundo ait esse formalem actualem, quod ipse tanquam novū aliquid dicit, se affirmare sine assertionem, & præiudicio melioris sententiæ; atqui si solum concederet distinctionem virtuales vel solum assereret in re ipsa esse fundamentum distinctionis per intellectum, nihil sane novi doceret, nec opus esset suam sententiam aliorum iudicio ita submittere; unde ex his omnibus colligendum tanquam certum est, Scotum novam aliquam distinctionem introduxisse, dum excogitaverit distinctionem formalem, ac proinde non posse dici vilo modo talem distinctionem esse virtuales antiquam.

20 Ultima pars nostræ conclusionis sic probatur, & primum demonstro ex verbis Scoti distinctionem formalem nullo modo esse realem, quod evidenter probant hæc verba Scoti, in 1. *dist.* 2. *q.* 5. §. *sed nunquid*, ubi sic ait: sed nunquid hæc distinctio dicitur realis? respondeo non est proprie realis actualis, intelligendo sicut communiter dicitur realis actualis illa quæ est differentia rerum, & in actu, quia in una persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem divinam, & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis, quia nihil est ibi in potentia, quod non est in actu, & in §. in 5. est unitas simplicitatis, hoc ipsum confirmat his verbis, inest unitas simplicitatis quæ est vere identitas, quicquid enim est ibi, est realiter idem cuilibet, & non tantum est unum illi unitate unionis, sicut in alijs modis; unde minime datur distinctio realis, ex quibus evidenter sequitur in sententia Scoti, quod distinctio formalis sua non sit realis, id est distinctio inter res.

21 Nunc autem probatur, quod non sit distinctio modalis, nam distinctio modalis dicitur illa quæ est inter modum, & rem, aut inter duos modos sine aliqua vera identitate à parte rei inter modum & modum, aut inter rem, & modum, quod evidenter convincitur, nam destructo realiter modo, perseverat realiter res; nam homo qui sedebat, modificabatur sessione, & dum stat homo, & surgit, definit modus sessionis perseverante realiter re; item destructa sessione Petri, remanet sessio Pauli; ergo nec istæ duæ sessiones, quæ modi

sunt, identificantur inter se, nec sessio, nec inter sessionem hominis, & ipsum hominem datur identificatio à parte rei, & tamen distinguuntur modaliter: ergo cum distinctione modalis nulla datur identificatio, sed in sententia Scoti cum distinctione formali ex natura rei, datur identificatio realis: ergo distinctio formalis non est distinctio modalis: minor hæc sic patet ex verbis Scoti §. *Et tamen*, ubi sic ait, & tamen ex hoc non sequitur, id est ex distinctione formalis simpliciter diversitas, vel non identitas realis essentia, & relationis, non enim illud quod Pater est, Pater est aliud ab essentia, sed idem secundum Augustinum 12. *lib. de civitate Dei*, cap. 10. ideo simplex dicitur Deus, quoniam quod habet, hoc est excepto quod relative quæcunque persona, ad alteram dicitur, nec est ipsa sicut Pater habet filium, & non est filius, sed quicquid habet Pater in se, ad quod per consequens non dicitur relative illud est ipse vera identitate reali, licet non formali, quid clarius? quod paulo ante etiam expresse asseruerat, §. *Ista differentia manifestatur*, his verbis, ista differentia manifestatur per exempla, primo si ponatur albedo species simplex non habens in se duas naturas, est tamen in albedine aliquid realiter, unde habet rationem coloris, & aliquid unde habet rationem differentia, & hæc realitas formaliter non est illa realitas, nec è converso formaliter; imo una est extra realitatem alterius formaliter loquendo, sicut si essent duæ res, licet modo per identitatem istæ duæ realitates sint una res, ecce quomodo in sententia Scoti identitas realis compatitur cum distinctione ex natura rei.

Urgetur hoc ipsum, quia cum distinctione formalis nulla datur compositio, sed summa simplicitas propter identitatem; atqui, cum distinctione modalis inter modum, & rem non datur simplicitas, sed compositio realis, ut patet inter figuram, & quantitatem, inter ubi, & rem ubicatam, inter unionem, & res unitas: ergo distinctio formalis non est distinctio modalis à parte rei. Maior sic probatur ex verbis Scoti eodem §. *Ista differentia*; nam postquam protulit verba, à nobis nuper adducta, sic vterius progreditur in hunc modum: hoc exemplum inquit, licet aliquantulum sit simile ad propositum, quantum ad hoc scilicet, quod identitas realis non necessario concludit identitatem formalem cuiuslibet, quod est in subiecto, eodem ad quodlibet, quod est in ipso, non tamen est omnino simile, quia aliqua compositio est in albedine, licet non rei & rei, tamen talis qualis non conceditur in Deo propter non identitatem formalem, ubi autem non identitas formalis aliquorum in eodem requirit aliquam compositionem, & potentialitatem, & ubi non: sed summam simplicitatem, ut in Deo dicitur, *dist.* 8. quibus aperte Scotus asserit distinctionem formalem dari in Deo, cum summa simplicitate propter identitatem.

Ultimo sic probatur, quia numerans Scotus distinctionem realem, & modalem rejicit illas à Deo, & concedit distinctionem formalem vel obiectorum formalium: ergo sentit Scotus distinctionem formalem esse distinctam à distinctione modalis: antecedens sic patet ex his verbis Scoti, in re autem inquit manifesta est distinctio rerum, & hæc duplex suppositorum scilicet, & naturarum in intellectu, manifesta est differentia duplex modorum scilicet, & obiectorum formalium, quæ

Quæst. IV. Vtrum detur distinctio &c. 357

quæ est differentia hic intenta.

24 Tandem probatur hanc distinctionem formalem non esse rationis, id est fictam per intellectum, licet sit formalitatem, quod his verbis clarissimis ait Scotus §. *Respondeo*, non est proprie potest autem vocari hæc differentia seu distinctio rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipitur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est obiectum intellectus, quod etiam evidenter patet ex verbis Scoti supra adductis, asserentibus hanc distinctionem formalem, tum præcedere omnem actum intellectus tam creati quam increati; tum esse ex natura rei, seu ex parte Dei, quod nullo modo contingit in distinctione rationis, ficta ab intellectu; ex quibus omnibus evidenter patet hanc distinctionem formalem, nec esse realem simpliciter, nec modalem à parte rei, nec rationis: ergo est media inter illas, ita ut sit minima inter omnes reales, seu quæ existunt à parte rei, ut his verbis asserit Scotus. Ex his concluditur differentia hic intenta, quæ est in manifesta, & nimirum quia minima in suo ordine id est inter omnes, quæ præcedunt intellectum, & maior distinctione rationis, quia hæc existit à parte rei, rationis vero non existit sed solum concipitur per intellectum: ergo est media hæc distinctio formalis inter reales, & rationis distinctiones, quibus satis aperte prabata manet tota nostra conclusio.

SECTO VLTIMA.

Argumenta Adversariorum solvuntur.

25 Ad primum desumptum ex verbis Scoti, iam satis responsum est in probatione nostræ conclusionis, Scotus enim solum ut probabile concedit illis verbis, posse dici distinctionem virtuales, & ideo ait Scotus, vel alio modo potest vocari differentia virtualis, non enim asserit, ut solet dicere quando suam profert sententiam, dico absolute, Respondeo; unde non secundum propriam mentem videtur loquutus, quod patet, nam paulo post rejicit hanc distinctionem virtuales, ut patet ex iam dictis supra latissime, quare pro certo habendum est nunquam Scotum confuisse distinctionem formalem à se de novo excogitam cum distinctione virtuali, iam pridem, antiquisque recepta ab omni Schola.

26 Ad secundum Respondetur, potius esse pro nobis, quam contra nos, ut patet ex verbis Scoti supra adductis, nam licet assimilentur in hoc distinctio virtualis, & formalis, quod utraque petat simplicitatem inter distincta, nihilominus in multis alijs differunt, quæ recensuimus ad longum in probatione conclusionis, quæ sufficiunt ad hoc, ut non sint idem distinctio formalis, & virtualis, unde ridicula erit argumentatio, distinctio virtualis petit simplicitatem, distinctio formalis ex natura rei petit simplicitatem: ergo sunt idem, sicut ridicula esset argumentatio hæc, homo est animal, equus est animal: ergo homo est equus, et ubi scaturit ergo cum suo syllogismo Adversarius.

27 Ad tertium Respondetur tale argumentum potius nobis favere, quam adversarijs, nam distinctio virtualis non est minima inter distinctiones illas, quæ formaliter, & expresse actu à parte rei sunt, quia distinctio virtualis non est in illo ordi-

ne, imo si recte loquamur distinctio virtualis non est proprie distinctio in toto rigore, sed potius est æquivalentia distinctionis non solum cum identitate reali, sed etiam cum identitate formali ex natura rei, distinctio autem Scotica, quia formaliter à parte rei est, & est minor tam reali, quam modali, æquissimo iure vocatur ab Scoto minima in suo ordine, id est inter omnes, quæ præcedunt intellectum; concludo igitur nihil momenti adversarios adduxisse in gratiam acutissimi Scoti, ut illum (adversariorum Verbis utor) vindicarent à tam mala sententia, quam sine dubio Scotus invenit, ex cuius, & insculpsit, ac tandem toto pectore defendit.

QVÆSTIO IV.

Vtrum præter distinctionem realem, & modalem, detur alia media seu ex natura rei.

SECTIO I.

Contraria sententia cum suis probationibus.

PRIMA sententia asserit, distinctionem quandam mediam reperiri inter distinctionem realem, & rationis; distinctionem autem mediam vocant formalem, vel ex natura rei, quod autem signum detur ad cognoscendum hanc distinctionem formalem, & in quo distinguetur à distinctione modali, & reali non inveni in terminis apud aliquem Doctorem, sed quantum potui colligere diligenter, & attente legendo Scotum, & eius discipulos, distinctio formalis versatur inter formalitates quasdam adeo necessario connexas, ut dicantur habere identitatem realem, & per consequens ad invicem sint omnino inseparabiles, & hanc distinctionem ponit Scotus inter rationem entis, & modos illud contrahentes, asseritque ens non transcendere ultimas differentias rerum, licet transcendat subalternas, & non ultimas, ita Scotus in 1. dist. 3. q. 3. & cum illo omnes Scotistæ, qui etiam ponunt distinctionem ex natura rei inter attributa divina, inter essentiam, & relationes Scotum sequuntur ex nostris P. Fons. lib. 5. metaphysica, cap. 6. quæst. 6. sect. 2. P. Guillius lib. 2. rr. 5. de Attributis, sed isti duo Doctores solum concedunt distinctionem ex natura rei in entibus creatis, quia in Deo existimant illam concedere esse absurdum, sed meo videri, si attente legatur P. Guillius, distinctionem formalem vocat illam, quam nos vocamus modalem, & hoc etiam modo eximus Doctor disp. 7. metaphysica, sect. 1. asserit dari distinctionem mediam inter distinctionem vocalem, & rationis, quam vocat distinctionem modalem: hæc autem sententia probari potest eisdem argumentis, quibus in Logica disp. 6. quæst. 2. probavimus gradus superiores, & inferiores distingui ex natura rei, præcipue utuntur Scotistæ illo, quod implicat eandem rem sub eadem ratione habere convenientiam, & non convenientiam, similitudinem & non similitudinem, æqualitatem, & non æqualitatem.

Yy 3

Sed